



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BRUNEIENSIS** IN BRUNEIO DARUSSALAM  
NOVUS CONDITUR

**VICARIATUS APOSTOLICUM BRUNEIENSIS** Ad aptius consulendum evangelizationis operi in Praefectura Apostolica Bruneiensi, cuius sedes est in urbe *Bandar Seri Begawan* intra Negara Brunei Darussalam fines, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa habitisque faventibus votis eorum quorum interest, censuit ibidem novum Vicariatum Apostolicum esse condendum. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra potestate memoratam Praefecturam Apostolicam Bruneiensem ad gradum Vicariatus Apostolici evehimus eodem servato nomine Bruneiensi, quem concredimus sollicitis curis Societatis Missionariorum S. Ioseph de Mill Hill. Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Salvatori Pennacchio, Archiepiscopo titulo Montis Marani ac Delegato Apostolico in Bruneio Darussalam, onere imposito authenticum exemplar actus peractae executionis memoratae Congregationi remittendi. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo quarto, Pontificatus Nostri vicesimo septimo.

ANGELUS Card. SODANO	CRESCENTIUS Card. SEPE
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Laurentius Civili, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. XCVII (2005), n. 1, p. 16

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana